Nell'Ambascieria del Senato Romano.

Del bellicoso Marte i figli alteri,
A cui sin dalli Esperij a i lidi Eoi
Domitori de' Regni, e delli Imperi
S'inchinarono Regi, e illustri Eroi;
Dal vostro gran valore, o Sir, l'altr'ieri
[illegible], il piè chinaron solo à voi.
Con esempio immortal di nostra gloria
Di Poema degnissima, e d'Istoria.

ORATIO
F. PROSPERI ROSSETTI
FLORENTINI SERVITAE.

In funere FRANCISCI Med. Magni
Etrurię Ducis II.

*Habita in AEde diuæ Annunciatæ XI. Kal.
Decembris MDLXXXVII.*

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



FLORENTIAE.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXVII.

AD SERENISSIMVM FERDINANDVM MED. S. R. E. CARDINALEM ET MAGNVM DVCEM ETRVRIAE III.

SALVE ò Romuleæ gentis lux maxima, salue
O Medicùm stirpis gloria, & omne decus:
Italiæ splendor salue, spes optima salue
Thuscorum, patriç præsidiumq; tuç:
Tu sacer es princeps, Tu Dux es Magnus, & Heros:
Quem duo serta ornant Regia, Purpurea:
Nàm magno Imperio, & sceptris fulgentibus auctus.
Magnæ virtuti debita regna capis:
Vt quæ desierant redeant saturnia secla,
Et priscus Thuscis restituatur honos:
Hinc pro te Etruscam replent noua gaudia pubem,
Teq; suum Regem, Te dominumq; vocat:
Hinc mille Etrusco, & Romano carmine vates
Clara tuum post hâc nomen ad Astra ferent:
Tu nunc benigno sumas hçc carmina vultu,
Germani laudes, accipiasq; tui.

DE EODEM.

IAM FERDINANDI Regali, Argentea, vultu
Fastu incedebat Tybridis vnda fluens:
Cornibus at nunc demissis circumfluit, atq;
Elatis Arnum cornibus ire finit:
Romaq; iam Latij tellus speciosa, nitebat,
Dum FERDINANDI lumine clara fuit,
Nunc obscurari dolet ò Florentia, nanq;
In te lux tanta est, gloria, fama, decus.

AD EVNDEM.

SI Magici quondam prisci cecinere poetæ,
Cum rebus quadrant nomina sępe suis,
Nescio, cur FERDINANDVS dicaris, ab ipso
Nomine qui differs moribus, & genio,
Aureus est animus, verba & facta aurea, ferrum
Quid tibi? tu à ferro nomen habere nequis.

ORATIO

ORATIO
F. PROSPERI ROSSETTI SERVITAE.

In funere FRANCISCI Med. Magni Ducis Etruriæ II.

DEBITAM ſanè & honeſtam (Religioſiſsimi Antiſtites, Opt. Patres, ornatiſsimi Ciues) at acerbam, & calamitoſam dicendi prouinciam, in hac lugubri funeris pompa hodierno die me ſuſcepiſſe video; Etenim FRANCISCI Medicis Sereniſſimi Ducis magni Etruriæ ſecundi vitam non ſolum celebraturus, cuius ea ſunt decora & ornamenta, vt excellentibus animi ſui virtutibus, & glorioſa ſui nominis immortalitate in Cælum penetraſſe exiſtimetur, verùm illius etiam mortem iuſtis lachrymis deploraturus, qua nihil nobis acerbius, nihilue calamitoſius accidere poterat, in hunc ornatiſsimum locum aſcendi: Ecquæ profectò cauſſa eſt, (viri Florentini) cur hæc noſtra ſeruitana ſodalitas omnem arripere occaſionem non debeat huius ampliſsimi Principis celebrandi

brandi? vt quæ explere merita pro tot tantisque ab eius serenißima familia in hoc Deiparæ virginis sacellum collatis beneficiis: re ipsa non potest, grata animi beneuolentia assequatur: atque vtinam ego (reuerendi Patres) quem vos vnum ex omnium vestrum numero quamuis minimum, ad hoc pietatis munus obeundum delegistis, tantam orationis copiam, & vbertatem haberem, quanta ipse clarißimarum laudum celebritate præfulget: Verũ cum hoc mihi vix optabile sit, præterquamquòd honorificum est, & lamentabile hoc pietatis officium, difficile quoque mihi, & arduum illud esse intelligo; quippe qui exercitatione parum, ingenioque penè nihil cum valeam, & diuinarum illius virtutũ amplitudine, & tot nobilißimorum auditorum vndique circunfusa multitudine, & hoc lugubri exequiarum, atratoque spectaculo, non possum animo non commoueri, non perturbari, non contremiscere; & frangerer equidem in ipso que orationis meæ quasi vestibulo conciderem, nisi in tanta rerum acerbitate hoc vnũ me consolaretur, quòd Serenißimum FRANCISCVM Medicem iam non Etruscorum Ducem, neque hominum principem sed ciuem sanctorum, & domesticum Dei in æternas illas beatorum sedes euectum, suas me laudes recolentem audire, & celebrantem videre, animus auguratur. Tu magne Dux FRANCISCE ab illis beatißimis sedibus ac sempiternis respice, & accipe hæc nostra munuscula, parua quidem sed certa animi pignora: Non est autem (præstantißimi Ciues, vt vos meæ Orationi attentos esse exorem, quandoquidem vobis nihil

incundius

iucundius esse debet, quàm principis vestri laudes virtutesque audire; dum enim de FRANCISCO Duce Mag. Etruriæ dicitur, de omnium vestrûm laude, & de Etruscorum gloria dicitur; Dicam igitur auditores, atque in tam admirabili & innumerabili egregiorum facinorum multitudine summa tantum carpere conabor, & breuiori qua potero oratione ieiunius multo atque exilius quàm pro ipsorum dignitate par esset vestros ante oculos illa proponam.

Ac profectò illud primum in hoc Serenissimo principe laudando, maxime laudabile occurrit, quòd tanta est ipsius animi virtutum amplitudo, & rerum gestarum gloria, vt cum illustria sint ornamenta Etruriæ, quæ illius est regio, & gloriosa sint decora vrbis Florentiæ, in qua patria natus est, ac prope diuina sint dignitatis insignia familiæ Medicea à qua originem duxit, omnia tamen illius laudum claritate quodammodo obscurentur; & certè V.F. Dux Magnus FRANCISCVS non à dignitate regionis, non à patriæ ornamentis, non à familiæ excellentia, quæ omnia cum cæteris mortalibus sunt communia ex veteri & vsitata consuetudine mihi celebrandus esse videtur: huiusmodi namque laudationem quis non videat iis, qui propriis ornamentis carent, constitutam esse? vel si aliquantisper hæc sunt attingenda, vt ab eius amplitudine potius illustrata, quàm illi splendorem afferentia proponantur. Etruria enim Italiæ prouincia nobilissima etsi multis illisque maximis honoris titulis celebratur, quod & militum fortitudine, & Ingeniorum perspicacitate, & Religionis cultu præceteris Ita-

liæ

læ prouinciis fuerit imbuta, quod regia imperatoriaque insignia, bonarum litterarum doctrinam, & sacras in Deos cerimonias priscis illis Romanis, atque Romanorum principum filiis semper dederit, quòd antiquis illis temporibus magnam Italiæ partem suæ ditioni subiecerit, quòd in Galliam Cisalpinam eiectis hostibus ac debellatis, colonias miserit, quòd mari supero atque infero, nomen impofuerit, quòd denique tot principes, tot reges, tot summos Pontifices, hoc est, duo supra viginti ex se ipsa tanquam ex summorum Pontificum seminario, prodierint, hoc vno tamen, etiam si cætera desint, summopere gloriatur, quòd FRANCISCVS *Medices incomparabilis heros à se originem traxerit, illius sumpserit imperium, decus auxerit, dignitatem amplificauerit. Vrbs quoque Florentia V. F. summis quidem laudibus digna se extollit, non dicam, pulchritudine situs, aeris salubritate, Cæli clementia, tutißimis moenibus, munitißimis arcibus, eminentißimis turribus, viis conspicuo ordine stratis, plateis amplißimis, altißimis ædificiis, augustißimis templis, egregiis palatiis, illustrißimis familiis, frugum vbertate, negociorum multitudine, rerum gestarum gloria, quibus omnibus Naturæ, fortunæque bonis cumulatißime referta est vrbs vestra; Verum & maiorum nobilitate, quòd à Romanis extructa fuerit, & armorum vi ac militum robore quòd nunquàm exteris nationibus subiecta extiterit; & virorum in omni artium, ac virtutum genere præstantißimorum multitudine, quòd præ cæteris totius Etruriæ ciuitatibus, maximo cuiusdam præcipuæ excellen-*

tiæ

tiæ splendore semper claruerit: At dignioribus mihi credite (V. F.) & præstantioribus laudibus dignam vrbs vestra se prædicat, quòd FRANCISCVS Med. non tantum Etruriæ, sed totius etiam Italiæ lumen clarissimum, in ea natus sit, in ea lac suxerit, in ea omni ferè disciplinarum genere fuerit eruditus, in ea altissimum dignitatis gradum tenuerit, in ea Dux Magnus Etruscorum constitutus, Diademate Regio, regiisq; ornamentis, ac titulis decoratus fuerit; Ipsa demum familia Medicùm præclarissima, innumeris profectò dignitatum insignibus, & ornamentis se iactat, quòd tot viros in omni genere excellentes protulerit, sapientissimos ciues, prudentissimos senatores, inclytos militum Duces, inuictos exercituum præfectos, dicam etiam (vt Religiosissimos Episcopos taceam, & illustrissimos Cardinales) Ciuitatum prætores, Prouinciarum Duces, Regnorum Reginas, totius terrarum orbis Pontifices Maximos, qui ad Ecclesiæ clauum residentes, ad proximum Deo in terris locum euecti fuerunt: Nonnè (Auditores) ita se res habet? Miror equidem illius antiquissimi Cosmi, Petri, Laurentij clarissimorum virorum inter omnes Florentiæ ciues prudentiam, pietatem, religionem, in Remp. gubernandam, in Ecclesiam amplificandam, in Deum Opt. Max. colendum. At quid mirabilius dici potest Leonis decimi, Clementis septimi, ac Pij quarti, summorum Pontificum laudibus? qui tria Medieeæ domus in sancta Dei Ecclesia clarissima lumina, & vitæ integritate, & pietatis cultu clariores (mehercule) fuerunt, atq; illustriores, quam vt

aliquo orationis meæ lumine indigere videantur. Nequè prætermittam huius serenißimæ familiæ splendorem adeò nitentem extitisse, vt non solum intrà Italiæ fines singula illustrare potuerit, sed ad Galliæ regnum vsq; suis clarißimis radijs, penetrarit. Admiramini Auditores? Catharina Med. spectatißima fæmina, ac prudentißima, Laurentij Med. Vrbinatum Ducis filia, Regum Gallorum vxor & mater, hoc est Henrici secundi vxor, FRANCISCI secundi, Karoli noni, & Henrici tertij mater quadruplici Corona Regia præcincta gloriosa incedit, totius Gallici Regni Regina; Hæc namq; singulari sua prudentia Catholicæ Religionis hostium insidias, & cõnspirationes patefecit, hæc tela perditißimorum hominũ venenata in Ecclesiam Dei coniecta sua virtute retudit; Hæc faces ad totius Christianæ Reip. perniciem accensas incredibili celeritate extinxit: Hæc tandem Regiam Authoritatem, quam nefarij homines conuellere conabantur, in perpetuis bellorum fluctibus suo consilio filiis, sibiquè conseruauit, atquè conseruat. Silentio equidem mihi prætereundum censeo Ioannem illum Medicem huius Serenißimi FRANCISCI de quo loquimur, auum, cuius ita sunt egregia bellicæ laudis insignia, vt hæc reticere quàm leuiter celebrare satius fore existimem: Is nanquè militum pater vbiquè locorum vocatus, immò verò belli lumen ac fulmen adhùc adolescens equestri militiæ præpositus, moxquè Italiæ militum Dux acerrimus constitutus, quoties (bone Deus) crudeles hostium impetus represit? quoties firmißimas inimicorum cater-

uas

nam prostrauit? quoties hostilia militum agmina profligauit? quoties horribiles tùm ciuium, tùm Plebis tumultus sedauit? Non Decium certè (auditores) & Fabricium, sed Scipionem, & Cæsarem summæ amplitudinis caussa, hunc inuictissimum militiæ Imperatorem appellandum censeo, immo verò & ijs longe etiam præstātiorem existimo, quandoquidem illi duntaxat viuentes, hic verò etiam mortuus gloriosás de hostibus victorias magno cum triumpho reportauit. Hæc igitur V. F. sunt ornamenta virtutum, singularia quidem ac propè diuina, quibus Medicea domus gloriosam se prædicat, & extollit, verùm hoc vno & ipsa plurimum se iactat, & maximè gloriatur, quòd ex ea FRANCISCVS Dux Mag. prodierit, qui illius regiam maiestatem, vrbis Florentiæ dignitatem, Etruriæquè regnū ita defenderit, extulerit, & auxerit, vt à nullo vnquàm principe studiosius hæc & vigilātius defendi, efferri & augeri potuerint. Quamobrem FRANCISCVS Medices quàmuis tanto laudum suarum splendore Etruriam, patriàm, & familiam potius illustrarit, quàm ab earum claritate fuerit illustratus, satis tamen dijudicare non valeo, maioremnè splendorem patri suo COSMO attulerit, quàm ab illo acceperit: Etenim si pater tanto filio lætus fruebatur, & filius tanto patre beatus gloriabatur, si pater filij virtutibus exultabat, & filius sapientia patris triumphabat, si pater filij nobilitatem suspiciebat, & filius patris fælicitatem admirabatur; si pater summis laboribus regnum consecutus fuit, & filius non sine magnis laboribus illud con

seruauit, si pater armatus in bello, & filius togatus in pace gloriam inuenit, si demum pater fortunæ prosperitate filium, & filius parentum claritate patrem superauit: Nam COSMVS ciuis ex priuatis Florentiæ vrbis ciuibus est ortus, & FRANCISCVS princeps ex clarissimis Etruriæ ducibus est natus: O magnum patrem tanto filio dignum; ò magnum filium tanto patre donatum, ambos ad Cælum vsquè pro tot, tantisquè egregiarum virtutum meritis efferendos, ambos strenuos equitum magistros, ambos aurei velleris insignibus decoratos, ambos in principes huius ciuitatis constitutos, ambos Duces magnos Etruriæ serenissimos, ambos deniquè non homines, at heroas appellari dignissimos. Non possum (auditores) nec debeo sine crimine huius tanti viri COSMI Serenissimi laudes hoc loco reticere, qui ceû alter Octauius Augustus primus Romanorum imperator, adolescens adhùc decem, & octo non amplius annos natus, Reip. Florentinæ gubernandæ auctoritatem suscepit, cuius ita laudabiliter clauum tenuit, & gubernacula tractauit; vt admirabilium virtutum fama, rerum gestarum multitudine, clarissimis victorijs, & gloriosis triumphis, sibi nominis immortalitatem comparauerit, quippe qui propter sua in Christianam Rempub. bene merita, aurea corona ac regijs ornamentis, & titulis, in vrbe Roma omniũ ciuitatum celeberrima à summo illo pariterquè sanctissimo CHRISTI gregis Pastore Pio quinto cohonestatus, Serenissimus Etruriæ Dux Mag. appellatus fuit, huius non solum prouinciæ, sed totius etiam Italiæ, immo vero vniuersi

terrarum

terrarum orbis oraculum celeberrimum, à quo principes omnes, Duces, Reges, Imperatores, Pontifices ipsi Romani consilia petebant: Admiramini Auditores? Vos vos appello Herculem secundum Ferrariensium Ducem, FRANCISCVM secundum Galliæ Regem, Karolum quintum Imperatorem inuictum, Pium quartum, & Pium quintum sanctissimos CHRISTI vicarios; ò magnum COSMVM, verè COSMVM; suæ non tantum ætatis, verùm etiam posteritatis decus & ornamentum; Dies me deficeret V. F. si huius Opt. Principis, quo neminem vnquam vidit ætas nostra, aut prudentia perspicaciorem, aut auctoritate grauiorem, aut gloria clariorem, laudes singulas nunc persequi vellem. Iam tempus est, vt reuertar ad ea, quæ serenissimi FRANCISCI magis propria sunt ornamenta; quid autem in primis commemorabo? nihil sanè aliud, nisi eum ex clarissimis nō solum parentibus ortum esse, sed quod beatius illi fuit, ac fortunatius, marium primum prodijsse vt Florentinæ Reip. princeps natus, & Etruscorum Dux Mag. à Deo Opt. Max. præelectus, huic Florentissimo Regno dominaretur; Eximia igitur diligentia, summaquè parentum pietate, puerulus iste honestè, ac nobilissimè educatus, cum blanda morum suauitate, tùm infantili comitate Naturæ, præcipuo quodam amore, præcæteris filijs à COSMO patre dilectus fuit, qui vera parentis imago sub prima (non dicam adolescentia, aut pueritia) sed infantia, quæ ætas nihil cogitare, nihiluè loqui nisi leue & inane solet, singularis ingenij specimen, atquè incredibilis perspi-

cacitatis

cacitatis significationes dedit. Itaquè primis illis ætatis temporibus, ad ingenium (quo ipsi excellere contigit) excolendum singulari quadam industria prima litterarum rudimenta percepit, cumquè ingenio vinceretur ætas Poætas, atque Oratores audiuit, mox latinam linguam & græcam. tùm ab Antonio Angelio Bargæo tanquam à præceptore præstantissimo, qui postea ob suæ doctrinæ excellentiam, & morum integritatem à Pio Quinto Pont. Max. Massæ Episcopus creatus fuit, tùm etiam à Petro illo Victorio, viro perpaucorum hominum, immoverò omnium sui temporis græca lingua pollentium eruditissimo, cuius egregiis in celebrandis animi dotibus ipsius mihi eloquentia opus esset, tanquam à studiorum suorum adiutore, ac monitore, puer didicit, auidequè hausit; & breui tantos in huiusmodi artium, atquè linguarum studio progressus fecit, vt parentum expectationi vel cumulatè responderit, vel etiam illam superauerit, & sanè auditores hæc non minima est FRANCISCI *principis nostri laus; quod variarum gentium linguarum peritissimus Etrusci non solum Latini, & Græci, verum etiam Hispani, Gallici, atquè Germanici sermonis notitiam habuit, ita vt (ferè alter Mithridates Rex Ponti, nullus illi interpres ad huiusmodi exterarum gentium sermones percipiendos opus esset, & his omnibus linguis puer loqueretur & scriberet: O Rem pulchram & admirandam, puerulum principem tot linguis loquentem audire, tot linguis scribentem videre: Vt autem primùm ex pueris excessit, primis litteris ad om-*

nem

nem humanitatis laudem satis imbutus, in ipso flore adolescentiæ ad Mathematicas scientias cognoscendas animum adiecit, & tanto ad huiusmodi disciplinas feruore, studia sua contulit: vt numerandi, metiendi, librandiquè artes, quæ amplissimum ciuitatis Principem maximè decent, & qui terrarum esset ambitus, quæ cæli dimensio, quæ æternorum illorum corporum conuersiones, qui siderum ortus, atque occasus, quæ sidera errantia, & quæ certis essent infixa sedibus optimè intelligeret; verum adolescentior factus ad eam potissimũ philosophiæ partem se applicauit, quæ de hominum vita, & moribus pertractat, quandoquidem etsi omnes honestæ disciplinæ regium sunt ornamentum, omnium tamen maxime regia est philosophia, quæ Deum Opt: Max. venerari, condere leges, magistratus constituere, suam vnicuiquè tribuere dignitatem, in prosperis fortunæ successibus lætitia non effundi, in aduersis casibus tristitia non deprimi, atque omnino voluptatibus haud deditos esse docet; Et vt verbo vno multas illius laudes complectar, nulla profectò res est, quæ nos Deo similiores efficiat ipsa philosophia, quam siquis amplectatur beatus & immortalis euadit, quod sanè Socrates aureo illo responso significasse videtur, nam cum Gorgias percontaretur, an Persarum regem fælicem esse putaret. nescio (inquit Socrates,) quantum virtutis habeat, ac disciplinæ, perinde ac in hisce, non autem in fortunæ bonis humana beatitudo consistat. Hanc igitur philosophiæ partem, qua mores conformari putantur, FRANCISCVS Medices, cuius vitam laudamus, sibi

principi

principi adoleſcenti maximè opus eſſe cognouit, adeò què in illa addiſcenda ſe profeciſſe oſtendit, vt illis quatuor (om nium virtutum humanarum, præclariſsimis) virtutibus imbutus, hoc eſt, Iuſtitia, Prudentia, Fortitudine, ac Tem perantia non modo ſeipſum, familiam, & ciuitatem, ſed totam etiam Etruriam maxima cum laude, & incredibili omnium cùm admiratione rexerit, ac gubernauerit: At què vt faciliorem ad regnum optimè adminiſtrandum ſibi aditum pateſaceret, cum litteris arma, & cum ſapientia fortitudinem coniunxit, militaribuſquè certaminibus vt in iaciendis haſtis, in tractandis arcubus, in emittendis telis, equitando, digladiando, & propugnando maximè ſe exercuit: Nouerat enim ſapientiſsimus & fortiſsimus Princeps illud eſſe litterarum & armorum vinculum, vt ſi coniuncta fuerint expugnari non poſsint, ſin diſiuncta, vt vel litteræ ſine armis, vel arma ſine litteris reperiantur, facilè ſuperentur; Hinc ego Auditores veterum poetarum philoſophorumq́ prudentiam admirari ſoleo, qui Palladem ſapientiæ Deam armatam eſſe, & Apollinem Muſarum principem cum Marte belli præſide in cælo coniunctum eſſe tradiderunt: Quod prudentiſsimi AEgiptiorum ſacerdotes mirabili hieroglyphico præmonſtrare volentes, Mercurij effigiem duplicem effingebant, iuuenemq́ iuxtà ſenem collocabant, vt nobis ſignificarent, eum qui alijs rectè vult imperare, oportere litteras cum armis & ſapientiam cum fortitudine habere coniunctam: Nonnè igitur V. P. Magnum Ducem noſtrum FRANCISCVM litteris &

armis

armis, sapientia & fortitudine præstantem, concelebrabimus, dignisq; laudibus efferemus, qui philosophiæ præceptis & bellicis artibus præmunitus, Etruscorum Regno maximè dignum se exibuit? Ex hoc equidem factum esse existimo, vt à COSMO Serenißimo illius patre ipse adhùc adolescens sapientißimus & fortißimus, maxima clarißimorum virorum caterua stipatus, & magnifico omnium rerum ornatu instructus, primùm Romam ad Pium quartum sanctißimum Christi Vicarium honorificè salutandum, mox in Hispaniam ad Philippum Regem Catholicum honoris & officij gratia inuisendum mitteretur, non quidem vt in illis aulis amplißimis, aliarum gentium & principum mores, consuetudines, & instituta mente imbibens, ad suæ vitæ instructionem erudiretur, sed vt suis potius castißimis moribus, miro ingenio, ac singulari modestia, cùm Pontifici Romano, tùm inuictißimo Regi carum, & admirandum principem adolescentem se præberet; Quod sanè illi succeßisse fatendum est, cum ætate iam magis inualescente, Ioannam Austriacam fœminam aliarum omnium suæ ætatis fœminarum præclarißimam, natã Reginã Vngariæ & Bohemiæ, atq; augustißimorũ Cæsarum Karoli quinti. FERDINANDI, Maßimiliani, & Rodulphi, neptem, filiam, sororem, & patruam, illius potentißimi Hispaniarum Regis opera, vxorem duxerit; Ex qua septem filiorum parens effectus, pulchram sobolem & copiosam suscepit. In ipsa vero suæ iuuẽtutis ætate, quæ ad omnia ferè oblectamenta, ad voluptatumq; illecebras procliuis esse solet, tantum abest, vt vitã delicijs, & mollitie difluentem

egerit, vt annum vix ferè septimum supra vigesimum natus, à COSMO sapientissimo patre adhùc vitam degente, in quo maximam benè gerendæ Reip. spem de se concitauerat, totius Etruriæ moderandæ susceptus habenis, se totum in eius salutem contulerit, totosq; dies ac noctes de illius gloria cogitare cœperit; Quod tanti honoris onus cum facilè per annos septem ac honorificè sustinuisset, illam summam expectationem, quam iàm pridem ab adolescentia mirum in modum de se excitauerat, non modò conseruare sed omnino explere, ac vincere potuit. Verum septimo Imperij sui annorum ad virilem ætatem peruenisset, parente orbatus, à quo optimam Regni administrandi rationem susceperat, tanta animi æquitate, prudentia, fortitudine, modestia, àc pietate per annos ferè quatuordecim, ad huius nobilissimæ prouinciæ clauum resedit, illiusq; gubernacula tractauit, vt iàm maximam, Etrusci populi, & perpetuam fælicitatem sibi videantur adepti; Neq; profectò opus est (ornatissimi ciues) vt verbis superuacaneis id comprobemus, cum ex ipsius pulcherrimis actionibus benè & fæliciter gestis, satis superq; constet: Etenim inimicorum suspicionibus hinc eiectus, diuturno bellorum turbine depulso, terrorū fluctibus sedatus, hostilibus armis confractis, omnibusq; huius ciuitatis, & totius Etruriæ rebus pacatis, ita strenuè rexit, itaq; prudenter Regnum administrauit, vt nulla fortasse regio sit in terris, nulla gentium omniū sit prouincia quæ magis tuta, in maioriq; animi tranquillitate vitam degat ipsa Etruria: Quandoquidem nec bellis domesticis afflicta, nec externis vexata, sed pace optatissima fruens, quæ multò beatior est, quàm sit bellum bonorum

rum

rum omnium præsidio munita, in portuque tranquillissimo posita, optimam & beatissimam fortunæ cõditionem habet: Proh Deus Opt. Max. in tàm breui vix vnius & viginti annorum curriculo, quo ipsi Etruscorum Regni habenas moderari, Fata dederunt, qualia & quanta huius Serenissimi Principis, in omni virtutum genere gesta, extitere facinora? talia profectò (Auditores) & tanta, vt nulla ingenij perspicacitate excogitari possint, ne dùm maxima verborũ copia enarrari : Hæc pauca V. F. me enumerasse sat erit, Liburnum Thuscorum oppidum, vt hostibus aditus obstrueretur, ne in terram illam irrumperent, vicinumq; agrum depopularentur, nonnè Dux Magnus FRANCISCVS, *quem nunc lugemus, maximo vel potius incredibili sumptu suo, altioribus, ac firmioribus propugnaculis septũ muniuit? Portum etiam Liburni angustum, quem Cosmus pater moliri cæperat, amplum & multò plurium nauium, àc triremium capaciorem effecit, ita vt omni ex parte absolutus, Tyrrhænum mare nauigantibus, non solum oportunus, sed maximè sit accõmodatus : Nouas itidem ciuitates Heliopolim in Flamminia & in Ilua insula Cosmopolim. iàm pridem à parente sapientissimo terra mariq; extructas, maioribus præsidijs stipauit, numerosa incolarum multitudine repleuit, & vberioribus semper gratijs cohonestauit : Neq; silentio prætereibo, quòd patriam Vrbem, & si antea egregijs in omni genere ornamentis plurimum circumfluit, & abundauit, viarũ tamen pulchritudine, ædificiorum magnificentia, externisq; domorum parietibus admirabili ordine erectis, magnificis operibus pictis, & statuis marmoreis exornatis, splendidissi-*

mè illustrauit: Et vt domum illam magnificentißimam, quam vulgò Casinum appellant, omni rerum pretiosarum ornatum præfulgentem nunc prætermittam nonne palatium suburbanum, Pratolinum dicam àn paradisum deliciarũ? omnium locorum, quæcumq̃ viderim, pulcherrimum & augustißimum, in medijs & illis quidem syluestribus montibus ab humo excitatum extrußit? Quod (sacro in primis ad Dei cultum templo erecto) maximis domicilijs, latißimis cœnaculis, lectißimis cellis, pretiosißimis cubiculis, amplißimis porticibus, sublimibusq̃ columnis exornauit, Quia? ipsum etiam clarißimis imaginibus, antiquißimis statuis ex ære, & ex marmore sculptis, pulcherrimis, fontibus, aquæductibus miro artificio per subterraneos cuniculos confectis, iucundißimis viridarijs, & vmbrosis nemoribus, ita magnificè ac splendidè decorauit, vt nouum & octauum mundi miraculum prædicandum censeam: O magnificentiam admirabilem, atq̃ omnium vocibus, litteris, monumentisq̃ celebrandam. Totius deniq̃ Etruriæ Ciuitates, Oppida, insulas maria, vallis, aggeribus, propugnaculis, turribus, portubus, nauium, armatarumq̃ triremium classe, strenuorum equitum acie, pedestribus, & equestribus copijs, omnibusq̃ præsidijs ad hostium insidias detegendas, ad prædonum insultus euitandos, ad Turcarumq̃ incursiones oppugnandas muniuit, stipauit, obuallauit: Quare si Cæsar Augustus summoperè gloriabatur, quòd quam latericiam inuenerat Romam, marmoream reliquisset, quãtam sibi laudem & gloriam adeptus est FRANCISCVS Med. qui non solum Florentiam Vrbem, in tàm exiguo suæ ætatis spacio totam ferè innouauit,

sed

sed singula Etruriæ loca vel regijs ornamentis illustrauit, vel munitißimis præsidijs confirmauit? Magnam sanè, & admirabilem: at longè maiorem laudem (Auditores) admirabilioremq; gloriam ex cultu Religionis consecutus est: etenim summa semper pietate Deum Opt. Max. coluit, debitam Romanis Pontificibus, castißimisq; sacerdotibus reuerentiam exibuit, sacras Virgines & Dei cultui dicatas personas ardentißimo studio custodiri, & obseruari curauit maximo conseruandæ, ac propagandæ Catholicæ Religionis desiderio flagrauit, & quotidie quamquàm plurimis cùm publicis, tũ priuatis negocijs occupatus, diuino sacrificio Missæ vel publicè, vel priuatim interesse voluit. O fortunatam Etruriæ prouinciam, ò fælicem Florentiæ Ciuitatem, ò terq; quaterq; beatam Medicùm familiam, quæ talem ac tantum virum ex clarißimis parentibus natum filium enutristi, principem exornasti, Ducem magnum extulisti. Hac tanta egregiorum operum, virtutum singularium, atq; eccelsæ dignitatis celebritate, cum ad annũ ætatis suæ, nondum completum quadragesimum septimum peruenisset; Ecclesiæ sacramentis præmunitus, & Deo conciliatus, cum christianè vixerit, christianißimè moriens aditum sibi in cælũ patefecit; Quamobrem etsi illius caussa, quem ex his corporis vinculis quasi è carcere liberatũ, ad te Christe Iesu euolasse confidimus, lætari quàm plurimùm, & exultare debemus: Nostra tamen ipsorũ caussa summo animi mærore, multisq; lachrymis lugẽda est, ac deploranda iactura maxima, quã in obitu Serenis. sui Principis fecit Nobilißimum Regnum Etruscorum: Orbatum est n. (mihi credite) orbatum est optimo

timo

timo principe, ác sapientißimo, qui (radiantis instar luciferi inter clarißima cæli sydera) inter omnes totius Italiæ principes quàm maximè præfulgebat; Hæc inquam iactura est deploranda, hæc lugenda calamitas, hac ego omniũ vestrũ comuni acerbitate conturbor, commoueor, afligor, atquè adeò afligor, vt non poßim nõ lugere, non poßim nõ vociferari cũ Salomone; O Mors quàm amara est tua appropinquatio? quàm acerba tui memoria: nimis iniqua es, nimisq; in hanc amplißimam Medicũ familiam tibi indulges, quam nõ cessas tàm sæpe, & tàm crebro telorum tuorum ictu percutere: Vtrisq; parentibus filium, duobus fratribus, tribusq; sororibus germanum, lectißima vxore maritum, quinq; pulcherrimis filijs parentem Ducem magnum FRANCISCVM *orbatũ videre contenta non eras? sed quod immane est, atq; crudele etiam ad renouandum dolorem, illos hodie ad memoriam reuocas ipsiusmet acerba, & immatura morte? Hæc (mors sæua, crudelis, inexorabilis) hæc victoria tua, hæc tua gloria hic tuus triumphus, firmißima domus Medicea firmamẽta euertisse, clarißima Florentiæ Vrbis lumina extinxisse, serenißimos Etruriæ Heroas nobis arripuisse. O rem miserandam, ò fatum acerbum, ò crudelitatem casus. Quis vnquàm vidit, aut vnquàm audiuit tot ampla funera, & funesta in tàm breui temporis spacio, Nobilißimo Regno, Florentißimæ Ciuitati, clarißimæ familiæ euenisse? Immanis profectò duritia esset, non commoueri, non ingemiscere, non lugere. Lugeatis vos Aulici ac lamentabili voce clametis, quòd tàm egregium principem amisistis; Mæreatis Florentini cives obortisq; lachrymis deploretis tali, ac tanto vestræ ciuitatis*

gubernatore

gubernatore priuati; Ingemiſcant, ſqualeant, conflictentur populi Etruſci Ducem Magnū FRANCISCVM ſibi ereptū eſſe cogitantes: omnia tandem gemitu, & plāctu, omnia querelis, & lamentationibus vndiquè perſonent, cùm tantū incommodum, tantamq́ calamitatem ex perpetuo illius diſceſſu omnes acceperint, Tu FRANCISCE Dux Mag. qui prouinciam, patriam, familiam, & parētes adeò illuſtres ſortitus fuiſti, qui eximijs animum virtutibus, Iuſtitia ſcilicet Prudentia, Fortitudine, ac Tēperantia exornaſti, qui litteras cùm armis, bonos mores cùm rebus præclarè geſtis, ac pietatem cum Dei cultu coniunxiſti, qui demum (vt credere fas eſt) tot corporis & animi miſerijs expeditus, per tot rerū diſcrimina, in portum Chriſti tranquilliſſimū te contuliſti; nos qui luctu ingenti atq́ lugubri lamentatione te proſequimur, nos ab illis fœliciſſimis ſanctorum ſedibus, intuere, & aliquam noſtris lachrymis, noſtroq́ mærori quæſo adhibe cōſolationē. Illa certè (Auditores) illa in tot, tantiſquè malis maxima eſt, & optima conſolatio, quòd FERDINANDVM fratrem, Cardinalem ampliſſimū, & nouum Ducem Mag. Etruriæ, in Regno ſibi ſucceſſorem reliquit, cuius sereniſſima dignitate omnes lætantur, cui (vt debent) omnes gratulantur, in quem, tanquam in numen aliquod ſibi propitium omnes intuentur; Nam ſenes, iuuenes, nobiles, viles, diuites, pauperes, Etruſci omnes quàm maximè ſperant, vt hoc præſertim tempore ſuis ipſorum commodis conſulatur, quo principem auguſtiſſimum, omniumquè bonorum amātiſſimum ſunt adepti, qui afflictis refugium præbeat, miſeris opem ferat, pauperes foueat, protegat derelictos, iniurias damnet,

aequitatem

æquitatem probet, malos deterreat, bonis addat animũ, odērit vitia, virtutem diligat & litteratos omnes cõplectatur, qui deniquè omnia sua studia, omnesquè cogitationes in Regni salutem defigat, Romanum Pont sanctam Dei Ecclesiam, & Deũ Opt Max. suæ gloriæ auctorem semper tueatur, veneretur, & colat. Quod vt facias Serenißime Princeps (absentem appello) te obsecramus, tibiq; tamquàm summo, ac peculiari huius sanctißimi Sacelli patrono, non modò cænobium nostrum sed totam Seruorum Religionem humiliter commendamus, & tuæ Serenitati reuerentiam omnem omnemq; obedientiam pollicemur. Dixi.

In FRANCISCVM Med. Etruriæ Magnum Ducem secundum.

TVMVLVS.

INferias FRANCISCE tibi, Dux inclyte, soluunt
Seruitæ, laudes concelebrantq; tuas;
Qui Iustus, Moderatus, Acer, Prudensq; refulges
Relligione, Armis, Moribus, & Sophia,
Cuius & egregias dotes hieroglyphicis his,
Indicat ipse Leo, tùm Lupa, Crux, Aries:
Accipe Dux Magne, hæc munuscula sacra tuorum
SERVORVM, parua, at pignora certa animi,

FINIS.

MC